

Leistungskurs Bayern 1982

Willkürliche Eingriffe in die Eigentumsverhältnisse gefährden den Staat

(Cic., de off. 2,77ff.)

Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui rei publicae praesunt, quam abstinentia et continentia. Qui vero se populares volunt ob eamque causam aut agrariam rem temptant, ut possessores pellantur suis sedibus, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta rei publicae, concordiam primum, quae esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae, deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia.

Atque in hac pernicie rei publicae ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam; nam cui res erepta est, est inimicus; cui data est, etiam dissimulat se accipere voluisse et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo (1). At vero ille, qui accepit iniuriam (2), et meminit et prae se fert dolorem suum, nec, si plures sunt ii, quibus improbe datum est, quam illi, quibus iniuste ademptum est, idcirco plus etiam valent; non enim numero haec iudicantur, sed pondere. Quam autem habet (3) aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam saeculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat? Ac propter hoc iniuriae genus Lacedaemonii Lysandrum (4) ephorum expulerunt. Agim (4) regem, quod numquam antea apud eos acciderat, necaverunt, exque eo tempore tantae discordiae secutae sunt, ut et tyranni exsisterent et optimates exterminarentur et praeclarissime constituta res publica dilaberetur; nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malorum, quae a Lacedaemoniis profectae manarunt latius. (247 Wörter)

-
- | | |
|-----------------------|---|
| (1) solvendo non esse | nicht zahlungsfähig sein |
| (2) iniuria, ae | Gemeint ist hier die Enteignung |
| (3) habet | hier: es bringt mit sich ... |
| (4) Lysander; Agis | Lysander und Agis wollten in Sparta wieder die Gleichheit des Besitzes einführen. |